

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiæ Lipsiensis, Ad Solennem Memoriam Reformationis Ecclesiasticae A B. Lvthero Coeptæ, Cras In Templo Academico Pie Celebrandam, Lectores ...

Schede, Andreas Martin

Lipsiæ, [1715?]

VD18 13540696

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-196112



Am diu in vulgus notum est, Papæos pro Romanæ Ecclesiæ prætenfa veritate & auctoritate asserenda, subinde jactare atque urgere CATHOLICISMUM, seu quod ipsorum ecclesia SOLA sit CATHOLICA. Enimvero qui ab iis PROTESTANTIUM aut EVANGELICORUM adpellatione discernuntur, e divinis literis & antiquæ ecclesiæ testimoniis vel millies demonstrarunt, ipsos sibi solis hunc titulum falso arrogare, eoque in sua Religione gravissimos errores velle occulere. Quis enim inter doctos in antiquitate ecclesiastica vel leviter versatus ignorat, sive potissimam vocis CATHOLICÆ significationem, sive ejus usum apud priscos ecclesiæ doctores receptum attendat, eam notare cœtum Christianorum per Evangelium vocatum, qui καὶ ὅλῃ, seu per omnia, cum verbo DEI revelato consensum tenet ac profitetur? Vincentius Lirinensis, quem Gennadius Massiliensis *Commonitor. i. p. 317. edit. Baluzii.* virum in Scripturis Sanctis doctum & notitia ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructum adpellat, is, inquam, quid CATHOLICUM sit, ita definit: quod Ecclesia ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, teneat. Hoc est etenim virorum il- *in catalogo lustrum.* VERE PROPRIQUE CATHOLICUM, quod ipsa vis nominis rationaliter declarat, quod omnia fere universaliter comprehendit. Inde Vincentius, postquam varia de hæreticorum illorum temporum erroribus atque falsis opinionibus disseruisset, his verbis concludit: *Vinc. p. 346.* Quæ cum ita sint, ille est verus & GERMANUS CATHOLICUS, qui veritatem, qui Ecclesiam, qui Christi corpus dili-

diligit, qui divinæ religioni, qui catholice fidei nihil præponit, non hominis cujuscumque auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed cuncta despiciens & in fide fixus & stabilis permanens, quicquid univers. saliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit.

Nunc vero palam atque manifestum est, Papæos Romanenses nec consentire in omnibus fidei Christianæ creditu ad salutem necessariis capitibus, nec cum perpetua S. Scripturæ interpretatione prisce Ecclesiæ doctorum Patrumque orthodoxorum notissima. Quod cum B. Luthero fideles ejus paratae justis libris luculenter satis jam ante nos probarunt. Evolvat quis B. Martini Chemnitii Examen concil. Tridentini, Centuriatorum Magdeburgensium Annales, Gerhardi Confessionem Catholicam, Jacobi Heilbrunneri & Georgii Zeæmanni A catholicum Papatum (*uncatholisches Papsttum*) Nicolai Hunnii Apostasiam Ecclesiæ Romanæ, pluresque alios Evangelico-Catholicos doctores celeberrimos, qui validis argumentis evicerunt, Papæos Romanenses ab antiqua Ecclesia Apostolico-Catholica successive defecisse, atque fundamentum fidei salutiferæ subruisse.

Hac de causa istis nulla fit injuria, quando a nostris doctoribus evangelicis negatur, *eos solos esse* CATHOLICOS. Quo titulo tamen sese semper efferre assolent; ut videre est apud Legulejos Dillingenses. Id *Hulsemannus noster* breviter solideque demonstravit, evolvendo diversam significationem & usum vocabuli CATHOLICI; nempe quod si illud absolute ex stylo doctorum veteris ecclesiæ, de doctrinæ perfecta congruentia cum verbo DEI & omnibus omnium ætatum Christianis intelligatur, hautquaquam Papæis Romanensibus convenire; Si vero id de majori complicum unius sectæ numero accipiatur, (ut volunt Papæi) illis ex abusu vocis concedi posse. Uti *Augustinus* hac voce etiam usus est, inde colligens, Ecclesiam non esse in solo angulo Africæ, ut de se tra *Gaudens*. solis Donatistæ olim gloriabantur. Neque Protestantes Evan-

gelici, qui, Lutherani appellantur, ita inertes aut absurdi sunt; ut statuant, in sola Saxonia vel Germania etiam, aut in Dania, Norrvegia, Svecia aut aliis etiam locis, ubi Augustanæ confessionis doctrina recepta est, sive se solos, sive singulos tantum, constituere Ecclesiam catholicam, ceu impudenter satis nobis a quibusdam affingitur. Nos etenim credimus & docemus, CATHOLICAM ECCLESIAM esse, ubicunque verbum DEI prædicatur & sacramenta a Christo instituta recte administrantur; puriorem autem, ubi purius; impuriorem, ubi impurius, id est, falsa quandoque admixta interpretatione aliquot locorum aut dogmatum, quæ fundamentum fidei non evertunt. Siquidem ex annalibus ecclesiasticis nemini ignotum est, Patres antiquos ecclesias particulares, quatenus universalis membra erant, etsi non usquequaque puræ essent, appellasse CATHOLICAS. Ita Constantinus Imperator Alexandrinam ecclesiam apud *Socratem* vocavit CATHOLICAM: & *Epiphanius*, Photinum episcopum *Sanctæ catholice* appellavit, *Sozomenus* Callinicum, episcopum *catholice ecclesie*, quæ est in Pelusio, dixit,

Soc. l. 2. c. 28.
Epiphan. hæres. LXXI.
Sozom. l. 2. c. 25.

Ast vero cum seculo IV. & V. a Christo nato, hæresis Ariana longe lateque per orbem Christianum grassaretur, vocabuli CATHOLICI potior significatus & usus apud orthodoxos Patres obtinuit, ut eodem orthodoxe seu recte docentes & credentes tantum notarentur. Atque hinc accidit, ut labentibus postea seculis Papæi Romanenses sibi solis hunc titulum sumserint, ceteros vero omnes a placitis & decretis suis disfidere ausos *acatholicorum* vel *hæreticorum* appellati-
confer Theod. imper. decret. l. cum eos c. de sum. Trinit.

Quo autem jure hinc Papæi ab antiqua ecclesia apostolico-catholica successive deflectentes, sibi solis, titulum *Catholicorum* vindicarint, quivis doctrinæ Papææ non ignarus facile judicare poterit; Si quæ in concilio Tridentino fidei ipsorum capita & decreta sancita, & quæ in Missalibus & Marialibus circa divinum cultum præscripta sunt attendat, & in divinis literis eorum fundamenta quærat. Profecto nus-

piam in S. Scriptura canonica reperies : Traditiones R. Ecclesie pari pietatis affectu cum verbo D E I scripto amplectendas esse. Nuspian in ea leges: Solum Episcopum Romanum, quem nunc Papam vocant, esse Episcopum æcumenicum seu universalem, & infallibilem judicem omnium controversiarum fidei & morum a Christo constitutum: Nuspian invenies: non plura neque pauciora esse Sacramenta præter illa, quæ Papæa Ecclesia tradit: Nuspian in S. Scriptura extat: justificari hominem formaliter per bona opera. Nuspian: actionem missaticam esse verum & proprium sacrificium, idque propitiatorium pro vivis & mortuis: Nuspian extat: In Eucharistia fieri conversionem sive transubstantiationem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem Christi. Nuspian: sub altera tantum specie, pane scilicet eucharistico, sumi verum sacramentum a Christo institutum; Nuspian: constanter credendum esse purgatorium; Nuspian: Animas fidelium ibi torqueri, & easdem inde per suffragia superstitem liberari. Nuspian: sanctos in cælo viuentes invocandos esse cultu dulciæ, sive Mariam Deiparam cultu hyperdulciæ. Nuspian etiam: Sanctorum imagines adorandas esse, cultu scilicet relativo ad ipsos sanctos: Nuspian; Pontificem Romanum habere thesaurum superfluum meritorum Christi & Sanctorum, & pariter potestatem exinde largiendi, propter ista merita aliis remissionem sive pænæ, sive culpæ. Nuspian: Negari concupiscentiam esse vere nominis peccatum. Nuspian: negari ullis calicem eucharisticum, quibus communio panis eucharistici conceditur. Nuspian: negari absolute omnibus sacerdotibus potestatem ducendi uxorem, aut utendi uxore ante ordinationem ducta. Nuspian: Episcopum Romanum esse Caput Ecclesie Christianæ, Christique in terra vicarium. Atque ita multa alia sunt tam affirmativa, tam negativa dogmata & præcepta, quæ sub anathematis fulmine seu pænæ, in concilio Tridentino sive ad credendum, sive negandum, & in professione fidei faciendâ, omnibus parochis, ludimagistris, scholasticis, Doctoribus, Licentiatibus & reliquis, vi Bullæ Pii IV. in Actis Concilii, & septimo Decretalium in sacrosancta de Magistris & Doctoribus præscripta sunt. Hæc inquam, omnia antiqua Eccle-

Ecclesia Christiana Catholica ignoravit. Adeoque patet, Ecclesiam Romanensem non posse haberi pro sancta antiqua Ecclesia Catholica, quam nos cum Symbolo Apostolico confitemur,

Præterea huic falso jactato CATHOLICISMO, Papæi insimul jungunt ceu fulcimentum, *Papæ R. infallibilitatem*, ipsumque pro Hieromonarcha CHRISTIQUE vicario *ἀντιπροβύς* in terris vinditant atque colunt; qui scilicet ecclesiam Catholicam solus pro nutu suo regat; ita, ut omnes Reges ac Principes etiam sese illi subicere ejusque jussa capeßere teneantur. Quod magnum certe postulatum, si in divinis literis haberet fundamentum, omnes sane Christiani Papæ imperio, ut ipse vult, sese subicere deberent. Ast nullum hujus vel clarum, vel certum testimonium ex illis per sex & ultra secula in medium adferri potuit, quo hocce privilegium Papæ liquido probari queat; cum tamen id ardui res sit momenti. Quæ enim Papicolæ hactenus hinc inde conquissivere argumenta, ita lubrica & ficulnea sunt, ut a quibusdam cordatioribus & doctioribus Papæis in dubium vocata, aut ab ipsis refutata ex parte fuerint. Imo Patres in concilio Tridentino congregati hanc Papæ infallibilitatem expressis verbis adferere non sustinuerunt; veriti sibi multa exempla fallibilitatis Papææ, a Protestantibus opponi posse, quæ contrarium manifesto attestantur. Sed ea heic allegare chartæ angustia non permittit; præsertim cum de iis & veteres & recentiores annales ecclesiastici assatim loquantur.

Desinant ergo ipsi CATHOLICISMUM suæ Ecclesiæ jactare, aut INFALLIBILITATEM Papæ R. nobis vere Catholicis Protestantibus obtrudere, imperitæque plebi his vocabulis fucum facere atque decipere.

Nos autem DEO ter optimo maximo gratias in Christi nomine devotas agimus, quod Ecclesiæ suæ tot corruptelis regnante Papatu infectæ misertus, B. MARTINUM LUTHERUM aliosque in divinis literis exercitatos parastatas, ac Principes jugi papalis pertæfos excitavit, qui dispulsis re-

gni

gni tenebrarum nebulis, divino auspicio & ope, Ecclesiae antiquae vere catholicae lucem Evangelii, docendo restituerint. Quod sane immortale DEI beneficium nunquam satis praedicandum fidelibus, qui CHRISTUM cognoscunt, salutemque animarum ab ipso partam amant atque festantur.

Cujus divini beneficii partes praecipuas, cras DEO dante, hora XII. in ambone sacro, eximus Vir - Juvenis M. JO. CHRISTIANUS HEBENSTREIT, S. THEOLOG. CANDIDATUS recensebit, & luculenta oratione exponet. Quapropter VOS, **ILLVSTRISSIMI PRINCIPES IMP. RVSSICI, DOMINI DOLGOROVCKII,** qui Academiam nostram Vestra praesentia, studiorum gratia hoc tempore ornatis; **VOS, VTRIVSQUE REIPUBLICAE LIPSIENSIS PROCERES** multis nominibus compellandi, cum generosa & nobilissima Studiosa Juventute, qua decet ac par est humanitate rogamus; dignemini, nobis, si vacat, comites e sacello Nicolaitano ire in templum Paulinum, atque in eo Oratorem nostrum eruditum & facundum, per breve temporis spatium benevole auscultare, DEumque enixe orare; ut bona ac beneficia per laudatam Reformationem Lutheranam in Ecclesiam vere Catholicam & Rempublicam Christianam collata, nobis propria ac perpetua in sui Nominis gloriam esse ju-beat! P. P. Lipsiae XXX. Octobr.
A.M.DCCXV.

LIPSIÆ,

Literis SCHEDIANIS.